


J.K.
124
75.

De Viris eruditis ex ordine Augustinianorum.

X 187 6221

II i
1772

MEMORIAM
SEYFERTINAM
ANNIVERSARIO RITU
PROXIMO XIX. JUNII DIE, HORA OCTAVA,
IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM
CELEBRANDAM
INDICAT,
EOQUE AD
ORATIONEM PUBLICAM
UTRIUSQUE ACADEMIÆ PROCERES
ET STUDIOSAM JUVENTUTEM
DECENTER INVITAT
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
DECANUS.



H. d. ü. 1772



Um nova quotidie incrementa capiat Historia Litteraria, nullus est in Romana Ecclesia Ordo, cuius viros eruditos nonnulli certatim non illustraverint. Nam ut de Augustinianis tantum dicamus, notum est Thomae de Herrera *Alphabetum Augustinianum* Madriti 1644, f. sed sterile fœcundi alioquin scriptoris opus, tum Philippi Elssii *Encomiasticum Augustinianum* Brux. 1654, f. quod tamen erroribus haud vacat. Quo vero in pretio sint Thomæ Gratiani *Anastasis Augustiniana*, sive de scriptoribus ordinis Eremitici S. Augustini Antv. 1613, 8. & Cornelii Curtii *Elogia virorum Illustrium ex Ordine Eremit. D. Augustini*, cum iconibus ad vivum expressis ib. 1636, 4. haud æque liquet. His accessit nuper Dominicus Antonius Gandolfus, Genuensis, qui cum ampliorem Bibliothecam Augustinensem edere olim constituerit, praemisit *Dissertationem Historicam de ducentis celeberrimis Augustinianis Scriptoribus ex illis, qui obierunt post magnam unionem Ordinis Eremitici usque ad finem Tridentini Concilii*, Rom. 1704, 4. Equidem & antea Auctor de Ordine suo bene ineritus videtur, quandoquidem eum *de Purpuratis Augustinianis*, hoc est, iis, qui ex hoc ordine Cardinalitiam dignitatem sunt adepti, nec non *Poeticos Flores Eremi Augustiniani* scripsisse, ex hoc ipso passim opere patet. Etsi vero hæc, quam præ manibus habemus, Dissertatione non ea styli elegantia conscripta fit, quam ejus generis libelli requirunt, multa tamen memorabilia hic occurunt, e quibus aliqua hac occasione delibare non gravabimur. Celebris fuit sæculo imprimis XIII (natus quippe 1247 & mortuus 1316) Ægidius Columninus, qui Aristotelicam Philosophiam multis Voluminibus, rudi tamen sermone, explicavit. Is cum adolescentiæ Philippi Pulcri Galliarum Regis, præfectus esset, ejus in gratiam *de Regimine Principum* libros tres Romæ primum 1482 f. typis excusos scripsit, omnis moralis philosophiæ compendium. Tanta vero ejus auctoritas fuit, ut, quod nemini alias concessum Noster putat, in Capitulo Generali Florentiæ 1287 fuerit mandatum, ut omnes ejus Ordinis positiones Ægidii seu scriptas, seu scribendas receiverent ac defenderent. Vixit eodem tempore Beatus Albertus, qui primus, teste Gandolfo, habetur, qui externæ eloquentiæ, quæ in varia gestuum compositione consistit, artificium in suggestum introduxerit, eoque in sui admirationem rapuerit auditores. Ubi de Ambrosio Calepino agit Auctor, mire ejus *Dictionarium Ven.* primum 1505, f. editum & centies deinde, omisso etiam Calepini nomine, recusum, commendat, eo imprimis nomine, quod auctoritati Patrum Ambrosii, Hieronymi & Augustini plus quam

quam Vallæ, Prisciani & similiū detulerit. Fuit præterea suavibus mo-
ribus & ne senex quidem, cum cæcitate jam laboraret, literarum studia
depositus. Miraculo similia sunt, quæ de Aurelio Brandolino, vulgo Lip- p. 85.
po a cæcitate dicto, narrantur. Nam cum a primis ferme vitæ cunabulis
oculorum luminibus captus esset, fuit tamen & Theologus atque Concio-
nator egregius, & Philosophus, & Orator, & Historicus, & Poeta extem-
poraneus & Musicus excellentissimus. Memoriæ vero & promptitudinis 87.
eius hoc præcipuum argumentum est, quod omnem Plinianam Natu-
ralem Historiam per singula capita quam plurimis & præclarissimis versi-
bus ex tempore enarraverit, re nulla memorabili prætermissa. Cum Fe-
licem de Prato Psalterium Davidis ex Hebraico sermone in Latinum 121.
transtulisse narrat Auctor, plures alios Augustinianos Linguæ Hebraicæ
gnaros adducit, & contra Celeb. Virum Guilielmum Cave non eam asse-
rit monachorum in Reuchlinum odii causam fuisse, quod in Hebraicis es-
set versatus, verum quod vir satyrici ingenii lingua illa abuteretur. Gui- 150.
lielmum Duranti perperam Durandum a plerisque vocari putat, eum-
que Augustinianum fuisse, contra Labbeum, quem ut Ordini inimicum 152.
saepissime redarguit, pluribus ostendit, affertque nobile Duranti de Sacra
Cœna dicterium: *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus,*
presentiam credimus. De Henrico de Langestain, dicto de Hasfia, refert, 164.
quod primus Mathematicas artes Lutetia Viennam transtulerit, inde mox
per universam Germaniam feliciter propagatas. Porro de politissimo 173. sq.
Hermolao Barbaro agens, vulgares quosdam scriptorum errores emen-
dat. Hinc Zachariam patrem & Franciscum avum, quos aliqui confun-
dunt, eum habuisse ostendit, tum non dolore obiisse, quod Resp. Veneta
eum dignitatem Patriarchalem contra leges patrias obtinuisse indignata
esset, verum peste Romæ 1494 extinctum fuisse probat, nec honore fune-
ris caruisse, in celebri quippe Augustinianorum Basilica S. Mariæ de Popu-
lo Romæ sepultum. Hieronymum Neapolitanum Nicolai V Pontificis 178.
in speculativis quidem scientiis, nequaquam tamen in Græcis, ut Ughellus
scripsit, præceptorem fuisse docet, quandoquidem is senex Græcas litteras
didicit, in quibus tamen ita mox profecit, ut de Græco in Latinum & con-
tra multa traduxerit, & Græce etiam nonnulla composuerit, teste Cario-
lano. De Johanne Hoffmeistero, quem ob libros nonnullos Luthero op-
positos, Anti-Lutherum vocatum vulgo afferit, notatu non indigna plura 216.
habet. Joannem Staupitum observat a. 1501 ad Summum Pontificem 233.
Oratorem fuisse missum, ut privilegia pro Academia Vitembergensi ar-
cesseret, eoque primum Academiæ fundatorem vocari. Laudatur Ludo-
vici seu Aloysii de Marsiliis insignis liberalitas, qui magnam librorum copi-
am multis ex locis conquisitam Bibliothecæ sui Ordinis Florentinæ, quam 252.
& antea præstantissimis Codicibus ditaverat Joannes Boccacius, legaverit.
Ei anno, quod Noster credit, 1436 defuncto *Florentina Civitas ob singu-*
larem eloquentiam & doctrinam sepulcrum publico sumtu faciendum,
quæ sunt verba Epitaphii, ponendamque insuper in Cathedrali imaginem
instituit. Notus ante alios est Onuphrius Panvinius, qui Veronæ 1529 275. sq.
natus, adhuc puer neque ætatis annum duodecimum supergressus, hi-
storiarum

JULY 1772

storiæ impensis sime vacare cœpit, & multis subinde scriptis voluminibus, quorum & aliqua alieno nomine prodiere, cum ex animi dolore in febrim incidisset, Panormi ante diem obiit 1568. Ad ejus laudem imprimis spectat, quod ejus Annalibus Ecclesiasticis, quos affectos reliquerat, ita in prioribus Annalium tomis usus fuerit Baronius, ut, qui primum Onuphrii tomum, vel saltem magnam ejus partem viderint, pauca a Baronio immutata fuisse agnoscant. Adjecit Auctor noster in Appendice antiqua quædam monumenta ad vitas imprimis Sanctorum Sanctorumque sp̄etantia, quæ celeberrimis viris Papebrochio & Janningio singulari epistola dedicavit. Postremo loco nonnullorum de Gandolfo præconia per modum epistolæ ad Franc. Mauritium Gandolfum, Marchionem Melasfi &c. recensentur, quæ inter cum & ea relata essent, quæ de ejusdem libro Italicō *Dispaccio Istorico, Curioso & Eruditissimo* Monterelegali 1695, 4 edito Actorum Eruditorum Collectores Suppl. Tomo III p. 300 censuerunt, additur, Academiam Obscurorum, quam Gandolfi auspiciis instituendam illuc nuntiaverant, ob perpetuam ejus absentiam nondum initium sumpsisse, eoque rationem ejus, quod desiderabant, nondum explicari potuisse. Novum denique fœtum ab Auctore exspectare jubemur in eadem Epistola, cujus titulus erit *Li splendori Liguri suelati dalla Penna del P. D. A. Gandolfo, principalmente ne detti, e fatti eroici, e gloriosi del Senato, Genovesi Patritii & Soggetti qualificati della Liguria, & alcuni anche della Corsica; con una descrizione delle sudette due Regioni e delle cose notabili delle medesime.* Cæterum multa se passim debere Celeberrimo Magliabechio non ingratus profitetur, quem virum quippe, aspectu licet & cultu philosophico, eruditione tamen, doctrina & moribus conspicuum p. 252 & eruditionis pelagum p. 256 vocat. Tum miris modis extollit subinde illos, qui liberalitate in pauperes conspicui fuere; qua nobis hoc loco commendandus imprimis est Vir Summe Reverendus DN. M. CHRISTOPHORUS SEYFERTUS, Pastor Gorlicensium Primarius quondam vigilantissimus. Etsi enim inter Augustinianos monachos referendus non est, regulas tamen D. Augustini aliorumque Patrum diligenter custodivit, & vele immortalem laudem consecutus est, quod mille Imperialium census annuos in Studiosi cuiusdam juvenis, in Lipsiensi nostra Academia viventis, usum legavit. Fruitur hactenus hoc beneficio Vir Juvenis politissimus DN. FRIDERICUS Schöñ/Gorlicio-Lusatius, Philosophiæ & Theologiæ Studiosus, non minus doctrina quam moribus commendabilis, qui beati Benefactoris memoriam celebraturus, proximo die Saturni hora VIII in Auditorio Philosophorum de Calamitate virtutis obstetricie compta oratione verba facturus est, cui ut Magnificus Academiæ Rector, Utriusque Reipublicæ Proceres Amplissimi & Studiosi Juvenes Nobilissimi frequentes interesse velint, ea, qua decet, observantia rogamus. Dat. Dom. II post Trin.

*LIPSIAE,
Literis IMMANUELIS TITI.*

JK
124
75.

De Viris eruditis ex ordine Augustinianorum.

X 187 6221

II i
1772

MEMORIAM SEYFERTINAM

ANNI
PROXIMO X
IN AUDITO
CE

ORATI
UTRIUSQ
ET S
DEC
FACULT
L

RITU
RA OCTAVA,
OPHORUM
AM

BLICAM
PROCERES
TUTEM
VITAT
SOPHICÆ
IS.



H. d. o. n. g. b.

